



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

Quæst. 50. Quid circa invidiam sit præterea notandum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42521**

» VI. Si doleas, quod alter tibi æqualis, vel  
 » non multum inæqualis, in excellentia crescat,  
 » ita ut te fiat superior, & ipsum incrementum  
 » excellentiæ apprehendas, ut tibi malum, est  
 » propriè dicta invidia: invidus enim dicitur,  
 » quod non sit videns, quia bona alterius sine  
 » tristitia videre non potest, Baldel. d. 29. l. 3.  
 » Et sic peccare solent, 1. Ambitiosi, & qui ex re  
 » aliqua quærunt gloriam, quam cum in eo po-  
 » nant, ut in illa re sint soli ac singulares, dolent  
 » & tristantur, si alii accedant. 2. Pusillanimes,  
 » quibus cum omnia videantur magna, quovis  
 » bono alterius putant minui suum; sic mulieres  
 » v. g. facile apprehendunt, ac dolent, se superari  
 » bono alterius, v. g. formositate. 3. Senes respe-  
 » ctu juvenum, & quicumque aliquid difficulter  
 » obtinuerunt, quod alii facile consequuntur.  
 » Bald. loc. cit.

» VII. Qui in adversis suis, vel ob aliorum  
 » prosperitatem, optat se non fuisse natum, vel  
 » se brutum animal factum fuisse, vel diem esse  
 » maledictum, quo natus est vel alterum primò  
 » vidit, aut conjugem accepit; si tantum inten-  
 » dat maledicere irrationali creaturæ, v. g. diei  
 » (sive sit nativitaris, sive conjugii) qui tot mala  
 » culpæ vel pœnæ protulit, videtur esse tantum  
 » veniale, (aliquando etiam nullum, ut Jabi) si  
 » autem deliberatè intendat optare malum ho-  
 » mini, sive sibi, sive alteri, illo die natis, vel  
 » conjugatis, mortale est. Escob. & Marchant. man.  
 » 6. 3.

## A D D E N D A.

304. Q. 50. Quid circa invidiam sit præterea notandum.  
 R. Seqq. §. 1.

§. 1. *Tamb.* in Decal. l. 5. c. 1. §. 3. n. 37. dicit non esse invidiam nec peccatum, si quis tristetur de bono alterius, in quantum verè est imminutivum propriæ excellentiæ, quis potest de hac imminutione tristari, ergo & de ejus causa, sic enim tristatur de bono proximi, non per se, sed tantum per accidens, prout est malum suum. Doctrina illa in praxi est difficilis, nisi supponatur motivum doloris & objectum displicentiæ esse solum suum malum: unde sicuti non licet tristari de vita alterius ob emolumentum temporale, nec gaudere de morte parentis propter hæreditatem, uti constat ex damnatione prop. 13. & 15. facta ab Innocent. XI. quamvis licitè desideres emolumentum tuum & hæreditatem, ita & hîc.

§. 2. *Burgh.* c. 1. c. 88. rectè dicit, si mercator 305. doleat homines non emere potius apud se quàm apud alium, esse æmulationem licitam; si autem doleat, quia hoc est bonum alteri, & ipse ideo negligitur, est invidia; sed putant *Lorca* & *Burgh.* esse tantum venialem, quia non absolutè dolet de bono proximi, nec hoc videtur ita graviter opponi Charitati, nisi ex illo affectu moveatur ad removendum illud bonum proximi.

§. 3. Naturalis partus invidiæ est detractio, 306. de qua dictum est l. 3. p. 2. à n. 1190. Committitur autem etiam his aut similibus verbis, *nolo detrabere, nihil mali ipsi voveo &c. hoc doleo, quòd sit talis vel talis &c. quàm dolendum est, quòd ille homo hoc faciat, &c.* Hæc omnia proficiscuntur ex corde invido vel inimico, & re ipsa lædunt alienam famam: & licet fortè nihil in particulari dicatur, tamen si ostendatur ejusmodi displicentiæ circa alte-

alterum, semper hæret animo auditoris aliquid  
malæ existimationis infixum.

De odio, videri possunt dicta l. 2. à n. 182.

## DUBIUM V.

*De Gula.*

### ARTICULUS I.

*Quid sit Gula.*

307. **R**esp. Ea est inordinatus appetitus cibi &  
potus: opponiturque abstinentiæ, & com-  
mittitur 5. modis, 1. Si edas ante tempus. 2.  
Si nimis exquisita. 3. Si plus iusto. 4. Si voraci-  
ter. 5. Si nimis exquisitè præparata. *Lay. l. 3. f.*  
*4. n. 2. Unde resol.*
- I. Gula ex genere suo est peccatum tantum  
veniale; quia nullus horum modorum repu-  
gnat præcisè charitati Dei, vel proximi.
- II. Hinc probabile est, quod docet *Nav. Tol.*  
& non repugnat *Lay.*, secluso scandalo &  
aliis, veniale tantum esse usque ad vomitum se-  
cibo & potu implere; idque etiam, si quis vo-  
mat, ut iteratò possit bibere: quod tamen *Sa V.*  
Comedere, alique multi, putant mortale. *V. Balde.*  
*Escob. t. 2. E. 2. c. 5.*
- III. Vix dubium est, licere esu aut potu, ali-  
terve creare vomitum, si is salubris esse iudi-  
cetur.
- IV. Mortalis interim censetur crapula ex ac-  
cidente, & nimia inordinatione, in his casibus,